

B
18



09


BM

====

2
y CB
qu

NB

St. um 3. 17.
St. Sublimat 3. 17.
St. Mann. 3. 17.





AB. 52 $\frac{10}{118}$



APPENDIX
DE
MODO INSULTUM
APOPLECTICUM CURANDI
LETHIFERO
Ob salutem publicam

Ad
Incipientium
PRACTICORUM ET ALIORUM
INFORMATIONEM

Et ex ejusmodi curâ Orientis
Majoris mali evitationem,

AUTHORE
FRIDERICO HOFFMANNO D.



L I P S I Æ,
Sumptibus CHRISTIANI KIRCHNERI,
LITERIS CHRISTIANI MICHAELIS,
ANNO M. DC. LXVIII.

ADRIANVS
DE
MODORVM
ALPHONSI
LITTERERO

FRANCISCO
ALPHONSI
FRANCISCO

FRANCISCO




CHRISTIANUS
CHRISTIANUS
CHRISTIANUS



(8)0(8)



HISTORIA INSULTUS APOPLECTICI SINI- STRE CURATI.



Accidit aliquandò, ut Fœmellam quendam, respectivè Plethoricam, subrubicundi in facie coloris, ætatis 32. vel circiter annorum, HONORATICUJUSDAM VIRI Conjugem sine prole quidem, sed cordicitùs dilectam INSULTUS APOPLECTICUS invaserit absq; catarrho suffocativo statim cum vomitu, & actionum animalium, motus scilicet & sensus, principumque Facultatam refranatione complicatus. Quod symptoma longâ temporis præcessit serie Cephalalgia interdum per se, interdum etiam cum Vertigine (quibus Medicus præsens tanquam prodromis hujus dicti hostis in tempore prævenire debuisset) & aliquali Menstrui fluxus dolore & Nephritide interpolata. Causam Procatarrhicam hujus mali conjiciunt insolationem seu Igniculos Solares hoc Messis tempore gliscentes fuisse, nonnihil concurrentibus animi commotionibus, quibus caput beatæ hujus mulieris ante invasionem fuit expositum.

Pro hoc exotico ac horrendo averruncando hospite Conjugem infestante bonus Maritus præ terrore ferè exanimatus cum reliquis balantibus & ejulantibus adstantibus mulierculis Medicorum implorârunt auxilium. Isti accersiti illicò Phlebotomiam ad v. vel vi. circiter uncias emisit cruoris administrârunt. Postea propinârunt Purgans ex pulvere incorrecti gummi Peruani ad grana quindecim nescio in quo vehiculo, cujus usum, licet interea dictus Affectus aliquot elapsis ho-

APPENDIX DE MODO INSULTUM APOPLECTICUM

ris in paralyfin lateris dextri mutatus fuerit cum aliquali sensus ac motus lateris sinistri ac reliquarum partium & quodammodo principum etiam Facultatum restitutione, præterquam quod capitis dolor obtusus cum C A R O complicatus fuerit (non cum L E T H A R G O) eò usque immutatus cremor ciborum in cœnâ adsumptorum per Vomitum rejectus dum continua eructatio & vomendi conatus, (id quod sanctè attestari possum) usque ad extremum vitæ halitum cum externorum symbolorum in SS. Cœnæ usu adsumptorum per vomitum rejectione insequutus fuit; Huic dicti Medici non solum cucurbitulam cum flammâ capitis Vertici impositam sed & sequens Enema intermediare coacti fuerunt.

Rec. Herb. Salviæ. rutæ. Majoran. ana M. j. radic. Pœon. ℥j. Semin. rutæ. ℥ss. coq. in s. q. aq. fontan. In colatur. ℥j. solv. Elect. Hier. picr. Benedict. Laxativ. ana ℥j. Sal commun. p. ii. M. f. Clyster.

Isti modò laudati Medici hîc nihil reliqui sibi fecisse visi sunt, quod ad hunc exosum hospitem exterminandum juxta mentis suæ persuasionem faceret, probè instando Spiritum Liliorum convallium cum vino destillatum internè propinando, ac extra Aquam apoplecticam pulsibus admovendo.

Præterea quæ nihil. Ego post peractam ferè tragediam accersitus, sed tempore & occasione agendi exclusus quædam etiam tentare volui, & quidem Externa, sed bonam Atropos à forti Apoplexiâ inducta invertit intentionem, ut totum hoc tragicum spectaculum non ultra quatuordecim horarum spatium duraverit.

E X E G E S I S.

Præsentem AFFECTUM à principio insultum fuisse Apoplecticum, non fortem Apoplexiam evincit 1. Actionum animalium & principum facultatum aliqualis refrænatio seu suspensio. 2. Transitus in paralyfin lateris dextri, & demum 3. in apoplexiam fortem.

Causa

CURANDI LETHIFERO.

Causa hujus Symptomatis non simplex fuit obstructio vel principii nervorum, seu spinalis Medullæ oblongatæ, vel arteriarum carotidum, quæ productum seu concomitans dici potest, sed specificum fermentum apoplecticum (hoc sive Spiritum sylvestrem, sive Tincturam, ut P. Johan. Faber, aut alio appellites nomine, perinde est) quod cum Spiritui animali occurrerit, (pro-ut videmus ex Mechanicis Chymicis dum blas Salis ammoniaci ob- viat Spiritui Salis Nitri) iste non solùm defectum sensit, sed & na- turalem suam luciditatem ac splendorem amisit, ut inde munium, agendorum & œconomix suæ oblitus in organa sensus ac motus non influxerit vel diffabilis aut planè fixatus.

Causa Occasionalis fuit Plethora non quidem exquisita, sed notha, ejusmodi fermentis tincta morbificis, quæ etiam antequam in tantum surrexerunt gradum, Cephalalgia, Vertigini, ac dolorifi- cis mensuris mineram suppeditarunt. Adfuisse autem aliqualem Plethoram patet, cum ægrotæ ante morbum calidæ & humidæ constitutionis, rubicundæ faciei, ac cibis boni & multi nutrimenti usu fuerit, se non adeò exercuerit, ac placatè cum viro in conju- gio, licet infœcundo, vixerit.

Causa Externa Remota fuit Aër calidus forsitan non sine pecu- liari magnali influxus Astralis, cujus actionem optimè exponit *Basso Libr. de action. inter. 3. art. 4.*

Positis igitur præsentis hujus affectus certis causis immediatis, proximis, concomitantibus antecedentibus ac symptomatibus, constitutione ægrotæ, expositione virium, mutatione unius affe- ctus in alium, operationis Medicamentorum & aliarum circum- stantiarum, non immeritò quæritur:

An præsentis adducti Medici B. defunctam apoplecticam juxta Artis præcepta & sanam Medendi Methodum curarint?

Id quod sequentibus ratiociniis ex Medicinæ fundamentis de- sumptis negatur.

Nam; Primò; Ubiqve indicatio purgantis adeò drausti-
A 3 PRIMUM
ci pro- MEM-
BRUM,

APPENDIX DE MODO INSULTUM APOPLECTICUM

ci propria deest, & tamen illud adhibetur, ibi contra Artis præcepta & sanam Methodum Medendi agitur.

Atqui in præsentī casu Indicatio purgantis adeò drastici propria defuit, & tamen à præsentibus Medicis adhibitum fuit. E.

Isti Medici contra Artis præcepta & sanam Methodum Medendi egerunt.

Major probatur, quia Finis est causarum directrix prima & dispositrix mediorum ad se. Ubicumque ergò finis non indicat mediorum necessitatem, frustra comparantur ad finem non requisita. Præsertim ubi constat remedium sine ratione, experientiâ aut analogismo temerè adhibitum non absque sanitatis jacturâ operari, quale præsens fuit. Ergò perperam instituuntur ejusmodi media, quæ finis indicat funesta, uti ex sequentibus porrò patebit.

Minorem probo, nam purgantis & quidem hujus præsentis drastici Indicatio propria (si concedis specifica purgantia) est cacochymia seu humorum serosorum, quales hydropem, febrim, scabiem, pruritem &c. excitare solent, abundantia, consentientibus omnibus Doctoribus. Jam autem quo argumento præsentis Medici probabunt in præsentī subjecto ejusmodi cacochymiam substituisse? Quod si etiam Plethora notha adfuisset, hoc est, si massa sanguinea aliquibus scatuisset impuritatibus, ecquæ hæc ut magis urgens Scopum curativum ad se traxisset, ut per istiusmodi purgans præposterum impuritates istæ fuissent everrendæ? quia vel in prophylaxi vel sedato jam paroxysmo apoplectico per specifica sanguinem mundificantia naturæ æmula diaphoretica & diuretica hæc Indicatio expediri & absolvi potuisset;

Deinde, an ignoratis morbos ex cacochymia ortos esse ut plurimum lentos, adeoque lentam exposcere medelam, quam Apoplexia respuit? Tertio, an vobis persuadetis humorem aliquem juxta communem opinionem in nervorum principio vel arteriis carotidibus obstructionem facientem, ut Apoplexiæ proximam & immediatam causam, extra vasa constitutum vel etiam intra purganti vestro pariturum, ita ut intra vasorum receptacula absorptus & per tot ambages ambulans demum per alvinam regionem

CURANDI LETHIFERO.

nem excernatur? quare absurdum hoc est? Ideoque Quartò ineptum est, causam alicujus affectus remotam aut antecedentem vel saltem productum etiam ejus, quales interdum vitiosi humores sunt, in ipso curationis momento posthabita ac relicta magis urgente proxima causa aggredi. Quod autem vomitus huic malo statim fuerit complicatus, O VOS Medici! non imaginari debetis, ob cacochymiam illum fuisse ortum (ut pretenditis) & sic Naturæ ductum observatum, ut, quò Natura duxerit, eò & Vos ducere volueritis. Minimè gentium. Nam hic Vomitus suam traxit originem non à cacochymia neque ex motu Naturæ Critico, nec ex motu mixto, ex Critico & Symptomático quasi Natura rectè agens sese ab hac vitiosorum humorum saburrâ liberare voluisset; neutiqvam: Sed purus putus fuit motus Symptomático ob ventriculi Sympathiam cum cerebro factam ex nervorum sexti paris ad ventriculum recurrentium coalitione, quibus! mediantibus Ventriculus cerebro compatitur. Cui & subscribit *CL. D. Sennertus ad mentem Hippocrat. s. 6. apb. 50. caput, inqviens, consensum habet cum omnibus ferè corporis partibus, etiam remotissimis, pedibus nempe, adeò, ut vel minima dolente facile illud simul compatiatur. Fitqve frequentissimè iste consensus cerebri spinalisqve Medullæ & nervorum beneficio. Consentit verò maximè cum ventriculo ob nervos insignes à sextâ conjugatione prodeuntes. Hinc affecto cerebro Ventriculus in consensum trahitur & in vomitus incurrit ingentes; Et vice versa. Practic. Medic. Libr. 1. pag. 3. s. 1. cap. 3. pag. m. 758. Cùm igitur in præsentis subjecto fœmineo Materia apoplectica in cerebro hosce dictos nervos vellicaverit, isti ventriculum in consensum traxerunt, cui fanè afflictio per adeò irritans pharmacum non major addenda fuisset afflictio; Unde ita argumentor:*

Quicumque ventriculo aliàs afflictio ob cerebri consensum majorem creavit molestiam, ille Naturæ agrotantis, non causæ morbificæ vim intulit.

Atqui Præsentes Medici noto purgante ventriculo aliàs afflictio
ob

APPENDIX DE MODO INSULTUM APOPLECTICUM

ob consensum cerebri majorem creârunt molestiam. E.
Naturæ ægrotantis, non causæ morbificæ vim intulerunt.

De cætero; Ecquis hic est Naturæ ductus? Hoc effugium
quæritur ex minus peritè intellecto *Hippocratis aphorism. 21. f. 1.*
scilicet, Naturæ ductum seqvi tenemur Medici, si illa juxta consue-
tam ac solitam naturalem agat normam in causâ occasionali
morbificâ expugnandâ, ut videmus post coctionis signa in febri-
bus ex motu Naturæ critico cum *ἐνφορῆ* & salutari eventu vitio-
sos humores concoctos vel per vomitum vel secessum &c. evacu-
ari, nonnunquam etiam ex motu mixto ex Critico & Symptoma-
tico, ut in diarrhœis salutaribus &c. Deindè si Natura per loca
convenientia in justo modo, quantitate & qualitate noxios humo-
res excernat. In his motibus, si Natura agat debiliter, conatus
ejus adjuvet, & sic nulla Naturæ inferetur molestia: Aliàs Medi-
cus Naturæ Minister saltem ejus spectatorem agat; eâ rectè &
benè agente. Sin autem Natura irritetur, adeò ut symptomaticum
cogatur insituere motum, qualis præsens fuit, tunc amplius non
est irritanda, aut laceffenda, nisi pejora velimus accersere sympto-
mata, ac deniqve ægrotantium maturare interitum. Unde tale
resultat ratiocinium:

Quicumque materiam apoplecticam magis commovit per pur-
gans, non autem promovit & ex corpore exterminavit, ille
contra Artis præcepta ac Methodum Medendi egit.

Atqui suprâ in Medium allati Medici per sæpius adductum pur-
gans materiam apoplecticam magis commoverunt, non autem
promoverunt, & ex corpore exterminârunt. Ergo

Isti contra Artis præcepta & Methodum Medendi egerunt.

Deindè; Quicumque in curatione morborum confundunt mo-
tum Naturæ Symptomaticum cum Critico, illosqve ab invi-
cem distinguere nequeunt, illi sunt Artis Medicæ ignari.

Atqui isti Medici, dum prætendunt se Naturæ ductum seqvi debu-
isse, confuderunt motum Naturæ symptomaticum cum Cri-
tico, illosqve ab invicem non distinxerunt. E.

Isti sunt Artis Medicæ ignari.

At

CURANDI LETHIFERO.

At dicas, Revulsionis causâ fortassis hoc Pharmacum dra-
sticum fuisse præscriptum; & deinde, juxta CELSI effatum, melius
esse in periculosis casibus anceps experiri Medicamentum, quàm
nullum; Nam primò; Annè ipsos latet, si conveniens & commo-
da debeat esse REVULSIO per loca commoda ac convenientia,
ne materia morbifica per Membrum nobile trahatur, in partibus
remotis illam debere fieri, unde tale sequitur:

Quicumque Revulsionis gratiâ beneficiò purgantis drastici cau-
sam Morbificam per Membrum nobile vicinum trahere mo-
litur, ille contra Methodum Medendi agit.

Atqui Præsentes Medici sæpiùs allegato pharmaco causa n apople-
cticam per ventriculum, ut etiam nobile Membrum vicinum,
trahere moliti sunt. E.

Contra Methodum Medendi egerunt.

Deindè CELSI effatum quod concernit, anceps illud Reme-
dium ita comparatum sit, necesse est, ut etiam tutum & absque pe-
riculo sit. Tuta ergò curatio ex *Galenì Libr. 14. Meth. cap. 23.*
tribus constare debet; Primò ut absolutionem operis consequa-
tur; Alterùm, ut sicubi hoc non consequaris, saltem cubantem non
lædas. Tertium, ut vitium non facilè revertatur, vel in deterius de-
generet, prout in præsentì casu factum fuit. Unde & *Hipp. 1. Epidem.*
sect. 2. text. 10. Exerceto circa Morbos duo, ut prosis, & ne quid
noceas. Vid. *Vallesius in comment. Libr. 1. sect. 2. p. m. 30. in Morbis*
Epidem.

Quod si deniq; aliquod purgans hoc loco aliqualem indicatione
invenisset, cur adeò drasticum incorrectum & ob virus colliqvativum
suspectum propinarunt? quale est succus ille resinofus Peruanus incor-
rectus, qui resinofitate & tenacitate suâ Ventriculi tunicis adhæren-
do & acrimoniâ ac vellicante suâ qualitate eas lancinando humo-
res non solum colliqvavit, sed & totum nervosum genus ita in con-
sensum traxit, ut in paralyfin lateris dextri jamjam degeneratam,
apoplexiam denuò in fortem suscitârit. Et absque hoc si fuisset,
tantum Paralytica adhuc curari potuisset, non autem Apoplectica
facta fuisset.

ALTE-
RUM
MEM-
BRUM.

B

Si

APPENDIX DE MODO INSULTUM APOPLECTICUM

Si igitur hunc dictum succum resinofum de Peru sub rationis incudem revocemus & supra hoc Mechanicam consulamus, eo non obstante, quod succus ESULÆ (*Esuls. Milch*) Indiæ in Cambodiâ regione Chinæ vicinâ crescens sit, teste JOCOBO BONTIO de Medicinâ Indorum, deprehendemus certè non sine suspitione alicujus veneni colliqvativi esse, dum potenter per superiora & inferiora humores tam laudadiles, quam minus laudabiles ex toto corpore educit vi suâ colliqvativâ instar Mercurii vitæ aut vitri Antimonii, (unde & Medicina Rusticorum à nonnullis dicitur,) illos prius in ejusmodi putridas mucilagines convertendo, ut sæpè symptomata periculosa inde excitentur, aut præsens malum exacerbetur, aut in periculosius transmutetur. Quæ causa etiam fuit, quod multi Medici ab ejus usu planè abhorruerint.

Nobilis. D. D. Rolfinckius in Ordin. & Meth. Special. libr. 5. sect. 6. cap. 8 p. m. 525. Noxæ, inquit, quædam ipsi communes sunt cum aliis validioribus purgantibus, ventriculi scilicet subversio, vomitus &c. Unde & *CL. Wallæus de Meth. Medend.* illud rarò & quandoque tantum adhiberi debere docet.

Tanti has noxas fecit *Gregorius Horstius in Epistol. ad D. D. Andr. Hildebrand. Medic. Francfurd. libr. 4. p. m. 233.* ut de eodem gummi differens in hæc verba erumpat:

Postquam observavimus in quamplurimis diversa & sæpius periculosa (non aliâ quâdam manifestâ causâ concurrente) symptomata fuisse subsequuta ab usu ejus abstinendum esse putavimus, ne per aliorum dolores experimenta faceremus.

Et *D. D. Backmeisterus Medic. Rostochiensis ad eundem Andr. Hildebrand. l. c.* subscribens pergit de Gummi isto, Corpus videlicet vehementer illud perturbare, vomitum scilicet, alvum movendo, non citra tædium & nauseam adsumentis, ideoque, inquit, usus ejus apud nos penitus defecit, nisi quòd robustioribus interdum exhibeantur.

Quisnam INFELIX ille PRACTICUS sit, quem *B. D. D. Mebius in Epitom. Institution. Medicar. p. m. 549.* inducit, facile

CURANDI LETHIFERO.

facile ille ipse Medicus hariolabitur, qui proprium suum foetum viderit saltem ex grano uno Gummi de Peru, & pulveris radic. gialappæ granis duobus cum Sirupo Rosarum semiunciâ constantem, qui tenellulis infantibus, teste MOEBIO, exhibitus præter tormina tandem convulsiones & hypercatharces conciliavit, ut vitiosos succos colliquesfactos simul cum ipsâ animâ expurgavit. Ejusmodi Medicos quo nomine *Petrus Poterius* insigniat, *vid. in Centur. 2. Curat. 1.*

Esse autem ejusmodi virus colliqvativum in dicto GUMMI de Peru, experieris, si sumas saltem recentem & adhuc calentem sanguinem hominis sani per venæ apertionem emissum in cucurbitam vitream, immiscendoqve aliquot grana hujus gummi resinosi de Peru posueris in lenem digestionem, per aliquot horas, & videbis ex mirâ hujus Metamorphosi cum summâ putrilagine foetidâ conjunctâ, quomodo in corpore humano beneficio virtutis digestivæ cruorem Mesentericum, vicinamq; contagio virulento sensim contaminet & foetido fermento cadaveris liqvet, id quod indicat fermentum colliqvativum efficiens & materiam cadaverosam è vivo desumptam.

Deinde; Des homini sano Salis Vitrioli drachmam unam, in vino soluti, hoc mox vomitum movebit. Et si statim à potu superbibatur haustus cerevisiæ calidæ, ille plurimos etiam patietur secessus, sed absqve omni foetore. Alio tempore offeras eidem justam dosin Gummi de Peru incorrecti & eo in actum deducto nares ferient olida excrementa à Laxativo hoc pharmaco producta. Ex quibus videbis, quomodo illud sui ponticitate, hoc autem colliqvativâ & putrefactivâ suâ operetur virulentia, & quidem indifferenter, tam in sano, quam in ægro *αἷμα & κέρτω* humores educendo.

Tertiò, cures modo potionem Purgantem ex Gummi de Peru incorrecto in octuplo vel ultrâ, nempe ad octo doses, in officinâ Pharmaceuticâ parari; Singulam dosin optimè valenti halurgo vel rustico, ab omni suspitione Morbi vel talis saburræ

APPENDIX DE MODO INSULTUM APOPLECTICUM

morbificæ abundantis libero, cum jejunio & custodiâ trium
vel quatuor horarum manè propina, & certè singulus sua deje-
ctionum liquamina Tibi æqua monstrabit, atque alius sub mor-
bi tyrannide gemens. Idem ergò Pharmacum in ægro & tot
aliis benè valentibus æqualiter suas colliqvationes non tam in-
venturum quàm virulentiâ suâ facturum certò Tibi persuadeas.
Si non successerit, Tibi pignus dabo quodcumque amittendum.
Et quod ego in Gummi de Peru, idem istud & Excell. D. D.
Knoëffelinus Regis POLONIÆ Archiater cum Mercurio Vitæ
ceu Antimonii sobole in heidonibus robustissimis expertus est.
Vid. ejus Method. Medend. Febres malignas. p. m. 66.

Esse prætereâ succum hunc, de quo sermo, Resinosum, pa-
tet, dum candelæ admotus lucidâ ardet flammâ, fumum ex fusco
cœruleum spargens, cinerem relinqvens in paucâ quantitate ni-
grum.

Deindè, solvitur in Spiritu Vini ceu Menstruo homogæneo.
Unde & D. D. p. m. *JOHANNES MICHAELIS*, anteqvàm
hoc in usum traheret, prius vel cum Spiritu Vini cum aliis mi-
scendo solvit, ne resinositate suâ ventriculi tunicis adhæreret, vel
in formâ Magisterii ad normam Mynsichti propinavit. Unde
talismodi sequitur ratiocinium:

Quicumq; Medici Insultu apoplectico affectæ Pharmacum drasticum
Gummi scilicet de PERU propinârunt incorrectum ad grana
quindecim, quod ob virus colliqvativum est suspectum ac
resinositate suâ Ventriculi tunicis adhærendo ac vellicando
acrimoniâ suâ totum nervosum genus in consensum traxit,
isti ansam suppeditârunt, ut Apoplexia, quæ prius in Paraly-
sin lateris dextri fuit mutata, demum in Apoplexiam fortem
degenerârunt.

Atqui Præsentes Medici huic Apoplecticæ Pharmacum drasticum
Gummi scilicet de Peru propinârunt incorrectum ad grana
quindecim, quod ob virus colliqvativum &c. E.

Isti præsentis Medici ansam suppeditârunt, ut Apoplexia, quæ
prius

CURANDI LETHIFERO.

prius in Paralyfin lateris dextri fuit mutata, demum in Apoplexiam fortem degeneravit.

Nec valet, si excipiant, hoc Pharmacum teste Experiencia sæpè lenissimè ac lentissimè citra ullam perturbationem in quibusdam ægrotis operatum fuisse. Nam etiam ex historicis notum est, quibusdam venenum non nocuisse, & pro subjecti ratione in effectu variasse. Sic Galenus Libr. 1. de Simplic. Medic. Facult. refert historiam Vetulæ, quæ absque omni noxâ usâ fuerit cicutâ. Et Avicennas Libr. 4. fen. 6. tractat. 1. cap. 6. ex Ruffo refert, Puellam quandam fuisse nutritam Napello, ut interficerentur Reges, si cum eâ coirent. Quot sunt, qui araneas sine ullo damno devorant? Differt igitur Natura à Naturâ, Temperamentum à Temperamento, &c. Siquidem Venena pro subjecti ratione & humorum in corpore abundantium diversitate in effectu variant; quomodo igitur purgantia idem non præstent?

Unde omnis Medicus, nisi agyrtam aut alium velit agere Empiricum, eò semper in curationibus suis collimare debet, ut circumspectè corporis dispositionem, humorum qualitatem vergentia & inclinationem, tempus & quantitatem &c. observet & examinet, antequam ad ejusmodi drastica descendat pharmaca. Quod si hæc etiam interdum quid proficui præstiterint, id totum temerarium & per accidens fuit, quatenus scilicet ad stimulationem unius alterum primum ac vicinum unâ exturbatum fuit.

Quid causæ, quod Mercurius Vitæ ex Antimonii profapia ortus hydropicis propinatus non semper per vomitum sed per secessum humorum serosorum abundantiam demendo operationem suam absolvat, annon salia in corpore hydropico prædominantia & Mercurii volatilitatem figentia? hæc si defuerint, Medicamentum sibi solitum reservat effectum.

Denique, Quid ipsos commovit, ut non unum colliqvativum, sed plura huic GUMMI PERUANO superinduxerint, majorem fermentationem in corpore subjecto concitatura, dum usui purgantis pulveris dicti incorrecti, ad grana quindecim Ene-ma supra descriptum subordinarunt? Cujus ingredientia HIERA PICRA, & BENEDICTA LAXATIVA, quæ ex

B 3

Aloë

APPEND. DE MOD. INSULT. APOPLECT. CUR. LETHIF.

Aloë, Scammoneâ, Turbith, hermodactylis, Esulâ &c, constant. Annon melius fuisset, præmissâ prius Venæsectione etiam ad t̄bj. vel circiter illicò ad revellentem Clysterem omisso pulveris purgantis usu descendere, nec posthabitis aliis specificis ant-apoplecticis generosioribus, atq; est Spiritus Liliõrum convallium cum viuo aut aqua apoplectica, unâ cucurbitulam cum flammâ capitis vertici imponere, ut ita fermentum illud apoplecticum, quod invisibiliter, odoretenus, vel auræ instar Apoplecticam meam Sororem invasit, non solum elibratum & ex agro vitali exterminatum, sed & causis occasionalibus & concomitantibus aliisque morbi hujus productis satisfactum fuisset.

Unde istiusmodi sequitur ratiocinium:

Quicumque non unum colliqvativum purgans imò plura alteri superinduxit & subordinavit, ille majorem fermentationem in corpore subjecto concitavit & ita malum deterius reddidit.

Atqvi Præsentes Medici non unum colliqvativum imò plura purgantia colliqvativa alteri, scilicet Gummi de Peru, subordinârunt. E.

Isti majorem fermentationem in corpore subjecto concitârunt & malum deterius reddiderunt.


Concludimus igitur sequenti Syllogismo:


Quicumque Medici Naturæ agrotantis mulieris vim intulerunt, materiam morbificam magis promoverunt, causam morbificam Revulsionis gratiâ à capite per aliud Membrum nobile, Ventrículum scilicet, trahere voluerunt, motum Naturæ symptomaticum cum critico confuderunt, Symptoma in aliud transmūtârunt, juxtaq; drasticum ac colliqvativum Medicamentum propinando contra Methodum Medendi egerunt, isti sunt cum inhibitione puniendi.


Atqvi Præsentes Medici hæc omnia perpetrârunt. E.


Isti sunt cum inhibitione puniendi.

SOLI DEO GLORIA!









59 10
18

AB: 52 $\frac{10}{18}$


ULB Halle 3
002 403 382



56

WA







APPENDIX
DE
MODO INSULTUM
APOPLECTICUM CURANDI
LETHIFERO
Ob salutem publicam
Ad
Incipientium
PRACTICORUM ET ALIORUM
INFORMATIONEM
Et ex ejusmodi curâ Orientis
Majoris mali evitacionem,
AUCTORE
FRIDERICO HOFFMANNO D.



L I P S I Æ,
Sumptibus CHRISTIANI KIRCHNERI,
LITERIS CHRISTIANI MICHAELIS,
ANNO M. DC. LXVIII.

